

dunt tamen infra jurisdictionem episcopalem aliam dari a Christo institutam.

1° *Parochistae* dixerunt parochos esse ex divina ordinatione successores septuaginta duorum discipulorum, secundi ordinis episcopos, veros ac proprie dictos fidelium suae curae commissorum *pastores*, iudices fidei vocem definitivam habentes in conciliis, jurisdictione externa et excommunicandi potestate instructos, ac demum tertium hierarchiae jurisdictionis gradum tenentes, infra episcopos quidem, at supra caeteros presbyteros.

Is error, decurrente seculo XIII, Lutetiae Parisiorum a clericis saecularibus, ad deprimendos regulares, propugnari coepit. Pluries damnatus a summis PP. Alexandro IV et Joanne XXII, forsitan extinctus fuisset, nisi eum renovasset argumentisque ditasset Gersonius, quem secuti sunt Sorbonici communiter.

2° Quidam, praedictum errorem temperantes, docuerunt presbyteros, aut saltem parochos ac praesertim canonicos, esse, jure divino, episcoporum in sua administratione consiliarios, ita ut episcopi, iis inconsultis, nihil facere valeant. Sic multi Jansenistae qui, cum viderent se aperte a corpore episcopali reprobatos, sibi adiutorium exquisierunt in corporis sacerdotalis auctoritate. Alii vero inter Jansenistas, longius progressi, Parochistarum aut Richeristarum placitis subscripserunt.

III. De erroribus qui praejudicant subordinationi episcoporum erga Summum Pontificem.

256. 1° Praecipuus error, jam confutatus supra, est *Episcopalistarum*, qui asserunt plenam docendi ac

regendi potestatem fuisse Apostolis eorumque successoribus collatam, id est, corpori episcoporum; sed negant ulli episcopo auctoritatem supra caeteros omnes jure divino competere. Ita multi inter Anglicanos, item Graeci schismatici.

2° Alii errores sunt eorum qui concedunt equidem Papam obtinere jure divino supremum hierarchiae jurisdictionis gradum, sed ejus praeeminentiam supra caeteros episcopos plus minusve labefactant. Horum sententias infra fusius exponemus et confutabimus, ubi de natura et vi primatus Romani Pontificis, necnon de modo quo se habet in ordine ad caeteros Ecclesiae rectores.

QUAESTIO V^a

Utrum ecclesiastica potestas resideat penes communitatem fidelium?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 522... 531. — Brugère : *de Eccl.*, n. 35. — Vincent : *de Eccl.*, n. 179.)

257. Resp. Videri potest quod sic.

Etenim, 1° Sacra Scriptura omnibus fidelibus sacerdotii praerogativam tribuit. Sic B. Petrus (I Ep. II, 9) : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium*; B. Joannes de omnibus Christianis (Ap. I, 6) : *Fecit nos (Christus) regnum et sacerdotes, Deo et Patri suo*, et ib. (v, 10) : *Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes : et regnabimus super terram.*

2° Praeterea, Christus ipse quemcumque principatum in Ecclesia sua interdixit (Matth., xx, 25, 26, 27) : *Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos. Non ita*

erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister; et qui voluerit inter vos primus esse erit vester servus.

3° Praeterea, plura allegantur quae supponunt ministrorum electionem ex populi suffragio pendere, videlicet: electio Barnabae et Matthiae, necnon septem diaconorum (Act. 1, 23; vi, 5); item concilia quibus statuitur ut, episcopo defuncto, ille in ejus locum sufficiatur, quem populus elegerit; ita, inter caetera, conc. Nicaenum in Epist. ad eccl. Alexandrinam; quibus consonat S. Cypr. (Ep. 68, alias 67), asserens populi suffragium, in electione ministrorum Ecclesiae, ex divina traditione descendere.

4° Praeterea, eo ipso quod communitas fidelium sit societas legitima jus habens existendi, eo ipso gaudet facultate sibi rectores constituendi, et eis auctoritatem deferendi. Ergo Christus, instituendo Ecclesiam, non potuit plebi christianae non conferre potestatis plenitudinem.

258. Sed contra dico: Potestas ecclesiastica nullatenus residet penes communitatem fidelium.

Ad cujus evidentiam, quaestio spectanda est vel attento jure naturali, vel attento jure positivo divino. Sub priori respectu, dicendum est, nedum ex solo jure naturali legitime concludatur potestatem ecclesiasticam residere in plebe christiana, multo magis, e contra, praesumendum esse Christum noluisse ut res ita se haberet. Attento autem jure positivo divino, certissime et apertissime constat Christum auctoritatem spiritua-lem non posuisse in communitatem fidelium. Tria ergo statuenda sunt:

I. *Attento jure naturali, nullo modo necessarium*

est potestatem ecclesiasticam in plebe christiana residere, id est: ex eo solum quod Christus fundaverit Ecclesiam, non sequitur ex natura rerum, plebem christianam potiri auctoritate ecclesiastica.

Secus, illa necessitas proveniret, vel ex paritate cum auctoritate civili, vel ex ipsomet jure existendi quo fruitur Ecclesia. Porro neutrum dici potest.

Immerito allegaretur paritas cum auctoritate civili. Equidem potestas politica, juxta theologos, existit in multitudine, hoc sensu, quod ad hanc spectat subjec-tum, formam et conditiones politicae auctoritatis de-terminare. At longe dispar est ratio auctoritatis ecclesiasticae ac auctoritatis civilis. Civilis quippe ecclesiasticam non continet: nec formaliter, ut totum partem, nec eminenter, ut perfectius minus per-fectum. Utraque est diversi prorsus ordinis: prior naturalis est; posterior vero est sub omni respectu supernaturalis, tum ratione objecti, tum ratione finis et mediorum, ideoque essentialiter positiva, et a divino pendens arbitrio.

Neque ex jure existendi, quod Christus Ecclesiae suae eam instituendo contulit, merito inferitur dedisse etiam ut fidelium coetui competeret auctoritas. Sane, instituendo Ecclesiam, Christus eo ipso voluit ut esset in ea aliquis auctoritatem gerens, sed optime potuit hanc nonnisi certis rectoribus ab ipso delectis decer-nere, cum jure et onere eadem successoribus trans-mittendi. Ergo Christi voluntas erit investiganda, quam sola Ecclesiae institutio non patefacit.

II. *Attento jure naturali, omnino praesumen-dum est Christum noluisse ut potestas ecclesiastica resideret penes communitatem fidelium.*

In regimine praesertim spirituali tria potissimum pernecessaria sunt : sapientia, nimirum, pax et stabilitas. Jam vero, si regimen Ecclesiae foret democraticum, tria haec sufficienter non obtinerentur.

1° Sapientia deficeret. Hoc sane evidentissimum est, posito quod populus per se ipsum auctoritatem spirituales exerceret, cum in communitate fidelium multo plures reperiantur in rebus spiritualibus parum versati, imo et imperiti ac rudes. Sed etiamsi populus mediantibus deputatis regeret, quomodo poterit hos delegatos sapienter eligere, cum ad hanc electionem requirantur non mediocri necessitatem Ecclesiae cognitio, personarum eligendarum aestimatio, mensurae praesentis ac cupiditatibus non obcaecata?

2° Deficeret etiam pax. Quot enim in electionibus peragendis machinationes, dissidia, factiones et rixae! Insuper, dato regimine democratico, jam pastores nonnunquam a suis ovibus coram communitate accusantur merito aut immerito; nec raro ab eorum sententiis ad plebem, tanquam ad iudicem superiorem, appellabitur. At haec certe maximum paci et concordiae nocuum afferent.

3° Demum aberit stabilitas. Etenim, ad eum qui summum in Ecclesia principatum gerit, spectat leges etiam universales abrogare, consuetudines introductas reprobare, ministros jam electos revocare, institutaque religiosa de medio tollere. Atqui, si haec permittantur arbitrio multitudinis, sive per seipsam, sive per suos deputatos auctoritatem exercentis, jam nihil erit in Ecclesia firmum ac perdurabile, cum experientia notum sit, quanta apud plebem animorum levitas, quantusque novitatum amor fervere soleant.

III. *Attento jure positivo divino, certissime constat Christum auctoritatem spirituales non possuisse penes communitatem.*

Constat 1° *ex verbis Christi.*

Christus enim Ecclesiae suae rectores instituens, nullo modo designat communitatem fidelium, sed quosdam tantum a se specialiter electos, et a reliquo populo segregatos, Apostolos, scilicet, quibus solis dicit : *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo...*; *hoc facite in meam commemorationem...*; *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Haec autem dicendo, nullatenus insinuat eos, in recipiendo potestatem, habendos esse veluti populi mandatarios et vicem gerentes, aut huic, in posterum saltem, subjiciendos fore. Imo aperte declarat illos a se mitti, sicut et ipse a Patre missus est : *Data est mihi omnis potestas...*; *euntes ergo... Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Demum, quia praeficiebantur Ecclesiae perpetuo duraturae, hinc simul habuerunt a Christo jus et officium sibi successores eligendi et instituendi. Ergo, juxta Christi voluntatem, principatus ecclesiasticus minime coetui Christianorum attribuitur.

Constat 2° *ex loquendi et agendi ratione Apostolorum.*

B. Paulus Apostolos exhibet uti legatione fungentes, non pro populo, sed pro Christo; uti ministros, non populi, sed Christi. *Pro Christo legatione fungimur* (2 Cor., v, 20); *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi* (I Cor., iv, 1). Apostoli autem nunquam significarunt se in fidelium coetu ullam potestatem agnoscere; nec curarunt ut populus sacros ministros insti-

tueret; sed independente a populo, plerumque etiam nec ejus testimonio requisito, quos ipsi probaverant sacerdotio inaugurarunt, et rectores ecclesiarum fecerunt. Sic S. Paulus Timotheum praefecit Ecclesiae Ephesinae (1 Tim., 1, 3), et Titum Cretensi (Tit., 1, 6). S. Petrus et ipse per universas Occidentis ecclesias instituit pastores, testibus Tertulliano (De praescript., c. 25), Innocentio I. (Ep. ad Decurt., n. 2), S. Aug. (in brevic. collat. et lib. de unic. bapt.). Item S. Joannes viros a se delectos praeposuit ecclesiis Asiae quas ipse fundaverat, juxta S. Irenaeum, Clementem Alex. (apud Euseb., 1. 3, c. 22) et Hieronymum (De vir. illustr., c. 9). Nec satis: Apostoli aliis mandaverunt ut idem facerent; sic Paulus ad Titum (1, 5): *Reliqui te Cretae ut... constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.*

Constat 3^o ex historia ecclesiastica.

Cum Papa universae Ecclesiae primatum gerat, necessarium erit, juxta adversariorum systema, ut ab universis fidelibus eligatur, aut saltem, de eorum consensu, ab electoribus designatis; item leges papales non obligabunt omnes Christianos, nisi quatenus habeantur veluti communis voluntatis expressio. Atqui nunquam Romanus Pontifex ab universis fidelibus electus est, nec aliquando jus illud eligendi totius populi christiani consensu aliquibus est demandatum; quod autem leges Pontificiae valeant quatenus sunt communis voluntatis expressio, nullus unquam, nec Papa eas ferendo, nec aliquis fidelium eis parendo, suspicatus est; sed constanter habitae sunt simpliciter veluti authentica significatio voluntatis illius cui, in persona Petri, totius gregis dominici cura commissa est.

Pariter, aliarum ecclesiarum pastores suam auctoritatem a populo non emendicaverunt. Quamvis enim aliquando plebis suffragium postulatum fuerit ad pastores eligendos, id tamen nec semper nec ubique usurpatum est, et talis usus mox, nemine reclamante, cessavit.

Jam vero, si fons potestatis ecclesiasticae resideret in populo, cum id, utpote ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem pertinens, a fidelibus ignorari non potuit, certe praxis huic communi persuasioni contraria haud debuit praevalere, vel sane non sine ingentibus reclamationibus, quarum tamen vestigia nulla reperiuntur. Ergo...

Constat 4^o Ecclesiae Romanae definitionibus.

1^o Conc. Trid. (Sess XXIII. c. 4.) expresse docet « non omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate « spirituali praeditos », et addit ibidem, eos qui sola populi electione ascendunt ad sacra ministeria, ea propria auctoritate assumere, nec esse ministros veros, sed fures potius et latrones.

2^o Pius VI, in bulla *Auctorem fidei*, damnavit ut haereticam secundam synodi Pistoriensis propositionem sic intellectam, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas.

Sic igitur respondendum ad ea quae opponuntur n. 257.

259. *Ad 1.* Christiani dicuntur sacerdotes significatione minus propria, uti explicant sancti Patres, quatenus 1^o baptisate fiunt membra Christi sacerdotis, et Dei cultui consecrantur, 2^o per confirmationem

sacro chrismate ungentur, 3° sanctitate vitae Deo spirituales hostias offerunt.

260. *Ad 2.* Verba Christi, si nimium urgerentur, omne potestatis exercitium excluderent, quod adversarii nolunt; siquidem de potestate non est controversia, sed tantum de ejus subjecto. Hinc Christus non imperium, sed imperii fastum et abusum improbat. Et revera ipse auctoritate non caruit, et tamen asserit se venisse non ministrari sed ministrare.

261. *Ad 3.* Electio Barnabae et Matthiae, necnon septem diaconorum, facta est ex peculiari quadam ac prudenti oeconomia, minime vero necessitate et lege immutabili, ut satis ostendit historia. Interdum, equidem, concilia statuerunt episcopos et presbyteros eligendos esse ex cleri et plebis suffragio, ut supponit citata epistola concilii Nicaeni; at nonnunquam decretum est quod a solis episcopis, nulla facta populi mentione, episcopus nuncuparetur, uti constat ex eodem concilio Nicaeno can. IV. Patres autem saepe de usu deferendi ad populum electionem ministrorum, in aliquibus ecclesiis obtinente, conquesti sunt. Quod si S. Cyprianus illum affirmet ex divina et apostolica traditione descendere, intelligendus est juxta latiore interpretationem, quatenus usus ille exemplis innititur ex divina Scriptura depromptis. De caetero, S. martyr, uti liquet ex contextu, non de vera electione per populum loquitur, sed de populi praesentis testimonio; dicit enim: « de divina auctoritate descendere ut sacerdos, plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. » Ibi plebs praesens distinguitur ab eligentibus.

262. *Ad 4.* Longe dispar est conditio societatis per hominum voluntates constitutae, ac societatis quae est juris divini positivi. In hac ultima, ad Deum instituentem, non ad alium, pertinet subjectum potestatis determinare.

QUAESTIO VI^a

Utrum principes temporales, qua tales, habeant jure divino potestatem ecclesiasticam?

Vide Brugère : *de Eccl.* n. 36, 37. — Vincent : *de Eccl.* n. 180.

263. *Resp.* Videri potest quod habeant.

Etenim, 1° Legimus plures principes, consentientibus, imo et rogantibus episcopis et summo Pontifice, decreta conciliorum confirmasse, nonnulla edidisse statuta circa res ecclesiasticas; videmus etiam passim pastores Ecclesiae a principibus civilibus designari. Porro haec omnia arguunt in agentibus spiritualem auctoritatem.

2° Praeterea, principes curam habent societatis civilis. At Ecclesia videtur esse societatis civilis pars; sive quia ad societatem civilem pertinet quidquid refertur ad felicitatem temporalem, et ad hanc felicitatem certe refertur Ecclesia; sive quia Ecclesia est societas inter cives societatis temporalis inita.

3° Praeterea, non multiplex, sed una tantum esse debet potestas, quae sit simul et temporalis et spiritualis. Utraque enim est suprema, et repugnat in una societate duas esse simul potestates supremas.

264. *Sed contra dico : Principes temporales, qua tales, nullam habent, jure divino, potestatem in rebus sacris; id est : Potestas temporalis nullam secum*

infert, jure divino, auctoritatem spiritualem; quamvis de se non repugnet utramque potestatem in eadem persona consociari, et ideo dictum est in conclusione: *qua tales.*

Inferret enim potestas temporalis spiritualem, aut jure divino naturali, aut jure divino positivo. Sed utrumque rejicitur.

1. *Principes temporales habere, qua tales, potestatem in rebus sacris, neque ex natura rei necessarium est, nec imo videtur conveniens.*

Constat 1^a pars, seu, *non esse ex natura rei necessarium.* Nam, juxta dicta n. 258, potestas ecclesiastica et potestas civilis sunt diversi ordinis, nec prior in posteriori ullo modo ex se continetur. Ergo prior ex se, seu, *directe*, aliam secum non trahit in eodem subjecto. Neque etiam *indirecte*, seu in quantum bonum temporale, quod intendit civilis potestas, absque usu potestatis spiritualis non obtineretur. Equidem bono civium temporali necessarium est, ut adsit quaedam spiritualis potestas conscientias dirigens; sed jus naturale non exigit ut ab eodem exerceatur ac potestas temporalis. Quinimo, bono societatis spiritualis, ac proinde etiam bono temporali, plurimum noceret, si principes, qua tales, auctoritate ecclesiastica potirentur, ut modo ostendimus.

Constat 2^a pars, seu, *non videri conveniens.*

Quod principes temporales, qua tales, habeant jus in res sacras, videtur maxime inconveniens, sive ex parte principum, sive ex parte Ecclesiae.

1. *Ex parte principum* non convenit.

a) Potestas spiritualis, posito quod principibus temporalibus, qua talibus, competat, admittenda erit in

omnibus, etiam iis qui magnis imperiis praesunt. Atqui principes ejusmodi nimium curis temporalibus implicantur, ut spiritualibus satis incumbant.

b) Praeterea, nequeunt principes, litterarum sacrarum ac scientiae divinae studio, eo modo vacare qui in pastore ecclesiastico requiritur.

c) Insuper, spiritualis potestatis exercitium requirit in subjecto statum vitae perfectioris, quo possit verbo et exemplo non minus quam auctoritate subditis procedere; quod vitae genus apud reges fere nunquam reperitur, nec moraliter exigi potest.

d) Demum, feminae aliquando solium occupant; sed feminas in Ecclesia imperare prorsus repugnat.

2. *Ex parte Ecclesiae* non convenit. Si oporteret principes temporales ecclesiastica potestate insigniri, multiplex detrimentum pateretur Ecclesia:

a) *Detrimentum unitatis*; cum principes supremi sint ab invicem independentes, et imo saepius inter se adversentur.

b) *Detrimentum stabilitatis*; ob frequentes perturbationes quae, in singulis regionibus, circa principatus civilis formam, subjectum et successionem accidunt.

c) *Detrimentum sanctitatis*; quia spiritualis jurisdictionis multoties temporali postponeretur, imo et subjiceretur, fieretque instrumentum regni.

d) *Detrimentum libertatis*; si, nempe, aliquis princeps a vera fide deficeret, et sua duplici auctoritate abuteretur ab subditorum fidem corrumpendam: quis enim in mundo hunc nefandum regem cohiberet, sicut hodie pastores scandalosi a Pontifice Romano cohibentur?

II. *Principes temporales habere, qua tales, potestatem in rebus sacris, juri divino positivo est omnino contrarium.*

Cum illi principes ex solo jure naturae praedictam potestatem non habeant, hanc sibi vindicare nequeunt nisi ex positiva Christi concessione; quam concessionem, utpote de re ad fundamentalem Ecclesiae constitutionem spectante, certe et clare manifestare debuit, ita ut, sive ex Christi verbis, sive ex traditione et historia absque dubio de illa constaret.

Jam vero, in verbis Christi nihil tale reperies; verba enim ejus auctoritatem spiritualem conferentis, nunquam ad principes temporales diriguntur, sed ad solos Apostolos ab ipso electos; neque alicubi Christus innuit suae intentionis esse, ut postea haec auctoritas fieret praerogativa principatui temporali necessario annexa.

E contra, talem haud fuisse Christi voluntatem apertissime constat, et testimoniis Patrum, et Ecclesiae Romanae gestis ac dictis, et ipsorummet principum Christianorum confessione.

Constat 1^o *testimoniis Patrum* :

Osius Cordubensis sic Constantium alloquebatur (apud Athan. Hist. Arian. n. 44.) : « Nec te rebus
« misceas ecclesiasticis, nec nobis his de rebus prae-
« cepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas. Tibi
« Deus imperium credidit, nobis ecclesiastica concre-
« didit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit,
« Deo ordinanti resistit, ita metue ne, si ad te eccle-
« siastica pertrahas, magni criminis reus fias... Neque
« nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi
« habes potestatem. »

S. Athanasius (Hist. Arian. n. 53.) : « Si illud episco-
« porum decretum est, quid illud attinet ad Impera-
« torem? Sin imperatoriae minae sunt, quid opus
« hominibus qui vocantur episcopi? Quandonam a se-
« culo res hujusmodi audita est? Quandonam Ecclesiae
« decretum ab Imperatore accepit auctoritatem, aut
« pro decreto illud habitum est? Multae antehac sy-
« nodi coactae sunt, multa prodiere Ecclesiae decreta,
« sed nunquam Patres res hujusmodi Imperatori sua-
« sere, nunquam Imperator ecclesiastica curiose
« perquisivit. »

S. Greg. Naz. (Orat. 17. ad Theodos.) : « Te quoque,
« Imperator, imperio meo et throno lex christiana
« subjicit. Imperium enim et nos quoque episcopi
« gerimus; addo etiam praestantius et perfectius. »

S. Amb. (cont. Auxentium n. 35) : « Imperator intra
« Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. »

S. Joannes Chrys. (Hom. 5, in *Vidi Dominum*,
n. 1) : « Quanquam nobis venerandum videtur solium
« regium..., tamen rerum terrenarum administra-
« tionem sortitus est rex, nec ultra potestatem hanc
« quidquam habet auctoritatis. »

S. Joannes Damasc. Leoni Isaurico dicebat (Orat.,
2, de imag., n. 12) : « Tibi parebimus, Imperator, in
« his quae ad hujus saeculi negotia pertinent...; ve-
« rum ad res Ecclesiae statuendas, pastores habemus
« qui nobis verbum loquuntur, atque instituta eccle-
« siastica tradiderunt. »

Constat 2^o *Ecclesiae Romanae dictis et gestis.*

Est sane factum notissimum ac frequentissimum,
principibus jura ecclesiastica invadentibus, pastores
Ecclesiae Romanae intrepide obstitisse. Sic v. g. in

medio aevo, totis viribus pugnaverunt ne imperatores darent pastorales investituras per anulum et baculum pastorem, quia sic videbantur auctoritatem etiam spiritualem conferre.

Quasdam tantum memorabimus solemniores declarationes.

a) S. Gelasius ad Imperatorem Anastasium scribebat : « Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur : auctoritas sacra « Pontificum et regalis potestas, utraque principalis, « suprema utraque, neque officio suo alteri obnoxia « est.

b) Conc. Trid., in cap. 4, sess. XXIII jam citato : « docet.. in ordinatione episcoporum, sacerdotum « et caeterorum ordinum, nec populi, nec cujusvis « saecularis potestatis et magistratus consensum, sive « vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine « ea irrita sit ordinatio ; quin potius decernit eos, « qui tantummodo a populo aut saeculari potestate ac « magistratu vocati et instituti, ad haec ministeria « exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate « sibi sumunt, omnes non Ecclesiae ministros, sed « fures et latrones, per ostium non ingressos habendos « esse. »

c) Benedictus XIV, anno 1755, in decreto *Ad assiduas*, ad episcopos Poloniae directo, librum D. Laborde cui titulus : *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances*, reprobans, declarat pravum et perniciosum, jamque ab Apostolica Sede damnatum, systema tribuens principibus potestatem de externa Ecclesiae gubernatione cognoscendi et iudicandi.

d) Pius IX, in Syllabo, plures reprobat propositiones principibus temporalibus circa res ecclesiasticas jura indebita concedentes, quas infra referemus. Una in praesenti sufficiat, nempe XLIV^a sic se habens : « Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae « ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, « quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam « pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. »

Sub eodem Pontifice, conc. Vatic., Constitutione *Pastor aeternus*, de Ecclesia, c. 3, damnat et reprobat contententes : « quae ab Apostolica Sede vel « ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, « vim ac valorem non habere nisi potestatis saecularis placito confirmantur. »

e) Leo XIII, in sua Encyclica *Immortale Dei*, die 1. Nov. 1885 edita, apertissime docet nullam civili potestati circa res sacras auctoritatem competere : « Haec societas (Ecclesia), inquit, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas..., « supernaturalis est et spiritualis ; atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili... Sicut finis « quo tendit Ecclesia longe nobilissimus est, ita ejus « potestas est omnium praestantissima, neque imperio « civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo « modo obnoxia... Itaque dux hominibus esse ad « coelestia non civitas sed Ecclesia debet... Itaque « Deus humani generis procuracionem inter duas « potestates partitus est, scilicet : ecclesiasticam et

« civilem; alteram quidem divinis, alteram humanis
« rebus praepositam. »

Constat 3^o *principum christianorum confessione.*

Quo magis pietate ac zelo christiani principes commendabiles fuerint, eo majori humilitate professi sunt se in rebus spiritualibus Ecclesiae esse subjectos, non praefectos. Ita Constantinus Magnus in conc. Nicaeno, Theodosius Junior in epist. ad Conc. Eph., Valentinianus, Honorius, Basilius, Justinianus, etc... Unum citabimus, nempe Basilius, qui in octava synodo generali mentem suam aperiebat sic: « Hoc investigare et quaerere, patriarcharum, pontificum et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi et solvendi ecclesiasticas et coelestes adepti sunt claves; non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel a ligamento solvi egemus. »

Et revera, historia constat, principes quamvis non raro conciliis per se aut per legatos interfuerint, nunquam tamen ad ea convocatos fuisse tanquam necessarios iudices, neque more episcoporum sententiam suam dedisse. Jam vero, si principibus jure divino adscriberetur auctoritas ad regendam Ecclesiam, id a nemine ignorari potuit, multo minus ab Imperatoribus ipsis. Ergo dicendum esset, et Ecclesiam principum jura contempsisse, et ipsosmet principes, praesertim piissimos et praestantissimos, se sua auctoritate spoliari passos fuisse; quae sane incredibilia sunt, quia impossibilia.

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 263.

65. *Ad 1.* Quidquid principes aliquando egerunt

quo viderentur conciliorum decreta roborare, aut nonnulla statuere circa res ecclesiasticas, aut pastores designare, id non praestiterunt ex auctoritate spirituali sibi divinitus inhaerente, sed de episcoporum et Romani Pontificis consensu, ut potestas civilis deserviret ecclesiasticae; talia autem acta independenter ab Ecclesiae acceptatione nullam vim habuerunt.

266. *Ad 2.* Ut Ecclesia societatis civilis pars dici valeat, non sufficit quod procuret temporalem felicitatem, aut quod inter cives temporalis societatis inita sit. Procurat enim felicitatem temporalem tanquam causa ordinis superioris, et initur inter cives pro fine superiori, nempe, felicitate aeterna. Porro causa felicitatis temporalis superexcedens omnem societatem civilem, item societas inita pro fine superexcedente finem cujuscumque societatis civilis, non est ejusdem pars.

267. *Ad 3.* Posita distinctione utriusque societatis, nempe, civilis et ecclesiasticae, non repugnat unamquamque societatem habere propriam potestatem supremam; tunc enim non sunt duae potestates supremae in una et eadem societate.

QUAESTIO VII^a

An et quomodo episcopi sint jure divino Apostolorum
successores?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl.*, n. 532... 550. — Perriot : *de Eccl.*, p. 258... 298. — Brugère : *de Eccl.*, n. 51... 54.)

268. *Resp.* Nonnulla praemittenda sunt de natura episcopatus.